

Alioqui nobis esset timendum, quod evenit Israelitis, qui cum adhuc Deo diffiderent post exploratam Palæstinam terram, a Deo irato puniti sunt, ut ex omni eorum numero nonnisi duo ingrederentur terram illis promissam. Horum malo nos erudiamur et totis viribus conemur, ut simul omnes mereamur ingredi terram illam: non desiderentur e nobis duo, vel unus, etc.

CONCIO VIII.

QUANTI ÆSTIMANDÆ SINT INDULGENTIÆ IN PUBLICATIONE JUBILÆI.

- I. Colligitur ex comparatione ejus cum pœnitentia. — II. Ex comparatione cum operibus satisfactionis hujus vitæ. — III. Ex comparatione cum purgatorio. — IV. Ex consideratione originis ejus.

THEMA.

Domine, bonum est nos hic esse. Matth. XVII.

Maximo nostro solatio dixit Habacuc, cap. III. de Deo: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Id quod de facto experimur. Si enim hujus temporis calamitates, armorum strepitus, bella et minantia nobis undique pericula consideramus, magna nobis existit lamentandi causa. Hoc enim tempore verum esse videtur id quod Jer. L. scribitur: *Vox belli in terra; aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ.* Si tamen hodiernam Christi transfigurationem consideramus, magna nobis offertur jubilandi et exultandi causa; ibi enim apparuit nobis Dominus et monstravit thesaurum gloriæ suæ in monte Thabor, imo non suæ tantum, sed etiam nostræ, quam in futuro expectamus. Hujusmodi etiam thesaurus est quodvis jubilæum, et plenaria indulgentia, in qua aperit nobis Dominus thesaurum gratiarum suarum, quibus facile, suaviter et expedite ad gloriam pervenire possumus; ut merito de eo dicere queam, quod Sap. VII. dicitur: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei propter disciplinæ dona commendati.* Quod si igitur hactenus contristati fuimus, ob thesaurum iræ divinæ nobis demonstratum habemus certe nunc quod caput erigamus, et respiremus, adeoque jubilemus, ob thesaurum gloriæ nobis hodie ostensum, et thesaurum gratiæ communicatum. Quia vero aliqui, thesauri hujus magnitudinem sapere non videntur, ea declaranda est.

I. Hujus thesauri magnitudo et excellentia patet ex ipsius cum pœnitentia comparatione. Indulgentia enim nihil aliud est, quam dulcis

quædam et delicata debiti remissio, qualis esse solet in patre respectu filiorum, quibus facile condonat pater, etiam sub conditione onerosa. Duplex enim tribunal Christi distinguere possumus, unum misericordiæ, alterum justitiæ. Misericordiæ item duplex: unum pœnitentiæ, in quo culpa remittitur, alterum indulgentiæ, in quo pœna. In priori agit Deus misericorditer quidem, non tamen sine processu judiciali et pacto oneroso; in secundo mere liberaliter et indulgenter. Duplex similiter justitiæ tribunal in Christo; alterum damnationis, ubi culpa plectitur pœna æterna; alterum satisfactionis, ubi post dimissam culpam pœna temporalis exsolvitur, sive in vita, sive in purgatorio. In misericordiæ tribunali ubi culpa remittitur, iudicium aliquod exercetur, quia ibi est iudex, accusator, discussio causæ, confessio rei, pœnæ injunctio. Nihil simile fit in tribunali indulgentiæ, sed mera ibi remissio et liberalis condonatio. Ita enim apostolus, I. Cor. XI. pœnitentiæ tribunal iudicium vocat, dicens: *Probet autem seipsum homo: et mox: Si nos ipsos dijudicavimus, non utique judicemur.* Indulgentiæ vero donationem, II. Corinth. II. *Cui aliquid donastis, et ego, loquens de incestuoso ad publicam pœnitentiam condemnato. Igitur culpam remittit Deus per pœnitentiam, sicut dominus subdito debitum cum titulo oneroso et correptione aliqua, ut aliquid opere præstet: pœnam vero per indulgentiam, sicut pater filio pure et paterne.* Hinc pœnitentia a Cone. Trid. sess. XIV. et patribus vocatur *laboriosus baptismus.* Sed dices: Quomodo non etiam indulgentia laboriosa dicenda est, cum nonnisi certis conditionibus et intervenientibus operibus onerosis detur, ut confitentibus et communicantibus? Eleemosynam dantibus? Jejunantibus? Processionem comitantibus? Sed velim intelligas, hæc nihil esse respectu pœnarum tibi debitarum. Si cui mille deberes florenos, et is a te unum tantum exigeret pro solutione, num tu hanc solutionem vocares, nedum laboriosam? Annon potius donum diceres? Audi quid faciat Ecclesiæ antistes. Instat dispensatoris illius evangelici, Luc. XVI. si tu mille debeas, dicit tibi jam: *Sede cito et scribe quinquaginta, id est, dele omnia, siquidem numerus quinquagenarius, annum jubilæi quinquagesimum significat, ut exponit ibi Salmeron: fac solum exiguam eleemosynam, quantam facile potes, comitare processionem, saltem ad quadraginta vel quinquaginta passus, fac unam confessionem, jejuna bis terve: quæ omnia quis dicat esse onera respectu tantorum debitorum? Quemadmodum igitur antiquitus servi cum a do-*

minis manu mitti antur, bis terve virgula paulatim percutiebantur, vel festuca in eos jaciebatur, ut refert Alexander ab Alexandro, I. IV. cap. X. quasi per hanc levem correptionem ab infinitis verberibus, quæ in futurum alioqui pati debuissent, si servi permansissent, liberarentur; ita ut hæc vindicta nihil censi debeat: pari modo si operibus tam facilibus et suavibus nos per indulgentiam manu mittat Christus, annon merito dicemus, nos gratis manu missos donatamque nobis esse libertatem? Quid enim unum alterumve jejunium? Tam exigui passus? Tam exilis eleemosyna? Annon festucæ jactus sunt, et virgulæ ictus? Nonne plus pecuniæ sæpius ludo perdis? Nonne lucri causa sæpe plus itineris impransus, et incenatus conficis.

II. Magnitudo hujus thesauri patet ex comparatione ejus cum operibus satisfactionis, quæ in vita faciendæ sunt. Nam et si satisfactio, quam hic exigit Deus, multo levior et suavior est ea quæ fit in purgatorio, metuenda tamen est; quod inde primum patet, quia olim Deus peccata etiam non gravissima, gravissimis pœnitentiis. Ob peccatum idololatriæ circa vitulum, licet placatus fuisset prius Dominus: *Ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum, ut dicitur Exod. XXXII.* tamen nihilominus per Moysen triginta millia hominum occidi jussit. Maria soror Moysis ob murmur contra fratrem, post dimissam culpam, septem dierum lepra punitur, Num. XII. David ob unum adulterium plurimis flagellis castigatur: morte infantis, incestu filiæ, cæde filii Ammonis, persecutione et cæde Absalonis. Similiter ob peccatum numerationis populi, punitur peste, qua perierunt septuaginta millia hominum, II. Reg. XXIV. In novo testamento Zacharias, quod angelo non credidisset, sermone privatus est, Lucæ I.

Secundo, id ex eo patet, quod olim pii Christiani, gravissimas de seipsis sumpserint pœnas, quando deliquerunt, incluserunt se ergastulis, conficiebant se fame, frigore, nuditate, macerabant se vigiliis, verberibus, ciliciis: uti Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Thais, anchoretæ, stylitæ, ascetæ, qui crudelissimis tormentis seipsos divexabant in loco, quem carcerem pœnitentium appellabant, teste Climaco, gradu V. qui inter alia hæc scribit: « Cum pervenissem, inquit, ad pœnitentium monasterium, imo vero ad religionem fugientium, vidi revera res et verba, quæ Deo vim inferre possent: quosdam ex reis illis vidi noctibus totis usque sub dio stare pervigiles pedesque immobiles tenere, contra somnum vim naturæ inferre, nullam sibi ipsis requiem indulgere, sed seipsos increpare.

Alios in oratione reorum more, vinctis post terga manibus, humi luridas facies suas inclinantes, indignos se, qui cælum aspicerent, vociferantes; nihil petentes, sed tacitam mutamque Deo mentem offerentes confusione plenam. Nonnullos in pavimento strato cilicio et cinere sedentes, faciem genibus operientes et frontem in terram collidentes. Alios pectora jugiter tundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti revocantes, alios lacrymantes, alios quod id non possent lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneis ex mœnore effectos et insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terram caput assidue movere, et leonum rugitum edere. » Et paulo post cum multa eorum verba et facta vere admirabilia retulisset, subjungit vidisse se in illis: « Æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu seipsos cruciabant, alii acerrimo frigore se affligebant; quidam modicum aquæ gustantes ne omnino siti arecerent, ita quiescebant; aliqui cum panis exiguum quid accepissent, reliquum tamquam illo indigni projiciebant. Quem locum apud illos risus habuit? Quem sermo otiosus? Quem iracundia? Quem furor? Ubi tenuis vini cogitatio? Ubi pomorum degustatio? Jugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur. »

Tertio, patet id ex pœnitentiis, quæ olim pœnitentibus injungebantur non tantum Cypriani, Athanasii, Augustini et Gregorii, sed etiam Francorum et Germanorum christianissimorum principum Caroli Martelli, Pipini, Caroli M. Ludovici, Lotharii, etc. temporibus. In ea vero pœnitentia ter in hebdomada cum pane et aqua jejunabant, cilicio et sacco induti, nudis incedebant pedibus, non utebantur balneis, equis, curribus, vestibus pretiosis: multoties in die prostrati orabant, neminem salutabant, humi tantum sedebant, in stramine jacebant, a delicatis et pinguibus et omni quod inebriare potest abstinebant. Tunc septem anni pœnitentiæ injungebantur pro homicidio; pro notabilis membri mutilatione tres anni cum dimidio; pro una fornicatione quatuor quadragesimæ; si sæpius fornicatus quis est, tribus annis pœnitent; si quis adulteratur semel, quinque annis pœnitent; si sæpius, decem annis. Si quis divinatores consulit, tribus annis pœnitent; si quis sacrilegus vel perjurus extitit, septem annis pœnitent; si quis parentis negligentia infans absque baptismo decedat, tribus annis pœnitent, et uno anno ex his foris, et semper feria sexta jejunet, etc. Ap. Eckium, I. II. de pœnitentia, c. V.

Quarto, patet id ipsum ex pœnitentiis et suppliciis,

quæ lege imperiali sontibus irrogantur etiam pe-racta pœnitentia. Videmus enim alios ob unicum homicidium capite plecti, vel rota frangi: alios ob furtum non magnum suspendi: ob adulterium pro foribus Ecclesiæ constitui, etc. An vero non putatis ejusmodi crimina, quæ alia merentur supplicia, plurima latere inter homines? Et si nos tam gravium nobis conscii non sumus, forsitan tamen ab iis non longissime absumus. Igitur si lege civili peccata graviora tam graviter puniuntur, quando patefiunt: utique non levius punientur a Deo illa, quæ non patefiunt, nisi magistratum accusare injustitiæ velimus. Restat igitur gravem et severam deberi Deo pro peccatis satisfactionem, sive in purgatorio solvatur. Quantus igitur indulgentiarum est thesaurus, qui ejusmodi supplicia tollit et condonat? Quis adeo insaniet, ut a tanto debito se liberare non desideret? Quis non malit misericordiam iudicis, quam justitiæ rigorem? Zachariæ XXI. dicitur, Deus duas sibi elegisse virgas, quibus regeret populum: *Assumpsit mihi, inquit, duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum.* Funiculus seu flagellum est satisfactio, quæ fit secundum justitiâ, qua alius meretur suspendium, alius ignem, alius rotam, etc. ob peccata sua: virga decoris indulgentia est, quæ hæc omnia condonat, vel si ferit, levissime ferit; uno scilicet alterove jejunio, confessione, elemosyna, etc. qui levissimi ictus sunt. Jam si tantæ impensæ fiunt pro uno captivo redimendo, quid non operis et laboris promptissime subeundum, ut indulgentiam lucremur? Quid? Volumus *in virga veniat ad nos Deus, an in spiritu mansuetudinis.*

III. Magnitudo hujus thesauri patet, si purgatorii pœnas consideremus, quæ nostros manent reatus, nisi hic eos exsolvamur. Et vero si nostram ignaviam et teneritudinem ad pœnitentiæ opera considero, cogor dicere, nihil certius nobis esse quam purgatorium; siquidem hic pene nullam subimus pœnitentiam, antiquorum canonum rigorem non admittimus; Deus nos, jam non ita castigat ut olim in veteri lege, nec ipsi nos castigare volumus: magistratus pauca puniunt: unde nihil certius nisi purgatorium non manet. Quia *qui timet pruinam, irruet super eum nix*, Job VI. Deus ergo nostræ teneritudini et infirmitati se accommodat, et medium, quo tam pruinam mortificationis, quam nivem purgatorii evadere possimus, in manus præbet. Annon maximum id esset beneficium, si iudex reo sententiam supplicii porrigeret (in qua ad ignem damnaretur) ea liberalitate ut delere eam posset et aliam scribere, prout vellet? Atqui per indul-

gentiam tradit tibi sententiam iudex Christus (quemadmodum evangelicus ille dispensator, Luc. XVI. tradidit villico cautionem suam) qua damnatus es ad gravissimas purgatorii pœnas: quomodo igitur non mox incipis radere et sententiam delere? Quam magnum sit hoc beneficium, Exod. XXXIV. præfiguratum videtur: ubi præcepit Deus, ut primogenitum asini redimeretur ove, aut saltem pretio ovis; quod si nec pretium pro eo quis vellet dare, occideretur asinus: quasi iratus Deus huic stultitiæ et ingrati-tudini, (non animali) jubeat occidi animal. Simili ratione animam tuam a pœna purgatorii luenda redimere potes voluntaria tui castigatione vel patientia tribulationum, quasi ove: quod si hoc nolis, pretium saltem aliquod numerâ: indulgentiam lucrare pro exiguo opere: quod si nec hoc feceris, vide ne ad iracundiam provoces Deum, ut te mactet in purgatorio graviter vel omnino in gehenna, si tantum beneficium contempseris. Nam si liberos tuos e Turcarum servitute eripere levi pecunia posses, et non faceres, annon tu ipse vendi dignus esses? Eiusmodi in negotio graviter aliquando offenderat Mauritius imperator, qui ut scribit Baronius, anno Domini 600. cum aliquot millia Christianorum suorum, quos Chaianus Avarum rex captivos tenebat, et Mauritio per unum numisma in singula capita ac minoris etiam redimenda offerebat, redimere neglexisset, ira incensus Chaianus, omnes ad unum trucidavit. Quam noxam gravissime postea luere debuit, cum optione sibi a Deo data, utrum in hoc, an in futuro sæculo puniri mallet, præsentem eligens pœnam, quinque filios suos mares ante se necari a Phœa vidit, et ad extremum ipse necatus est, ut habet idem Baronius, anno 602. Simili modo nos, quot peccata committimus, ad totidem pœnas animas nostras obligamus et quasi captivamus: eas tamen omnes et singulas nunc redimere possumus modica elemosyna, modico, jejunio, modico itinere; quod si nolimus, sæviet in nos Deus, si non in gehenna, saltem in purgatorio aut præ-senti sæculo. Vultis igitur tenello vestro parcere corpusculo, ne hic affligatur, vel in purgatorio: jam potestis: nec semper cum voletis, talis erit occasio.

IV. Magnitudo hujus thesauri ex eo nobis inno-tescere debet, si consideremus undenam nobis proveniat. Certe nos eum non accumulavimus: et de hoc verissimum est quod ait Dominus Joan. IV. *Alius est qui seminat, et alius est qui metit. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Seminavit eum nobis Christus sanguine suo, et ita quidem abunde, ut non possit esse tanta messis

quanta fuit sementis, quæ adæquari nequit, neque gloria, quatenus meritum erat: neque pretio quatenus satisfactio erat, quia Christi sanguis tam in ratione meriti, quam in ratione satisfactio-nis infinitus est, sufficiens pro infinitis hominibus si essent: et dignus infinito gloriæ præmio, si dari posset. Seminarunt deinde suo etiam hæc longe inferiore modo nobis sancti Dei, qui plusquam ipsis necesse foret ad satisfaciendum, fecerunt, ac proinde excessum illum satisfactionis in ærarium Ecclesiæ contulerunt ob sanctorum communionem et vinculum unitatis, quod est inter Christianos: quomodo multo balsamo super caput effuso, odor ejus in subjecta etiam membra deflavit, atque adeo in vestes ob membrorum et vestium conjunctionem. Unde Psalm. CXXXII. de hac communione bonorum David locutus, ait: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, seu (ut est in Hebræo) *in montes Sion, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem.* Caput nostrum est Christus, in quem omnis plenitudo gratiarum effusa est; barba apostoli, martyres, confessores; ora vestimenti, ceteri justii; mons Hermon altissimus idem Christus; montes Sion humiliores, ceteri justii. Ecce unde nobis proveniat hic thesaurus. Nimirum indulgentiæ sunt fragmenta illa quæ superfuerunt in convivio Joannis VI. colligi jussa a Domino, ne perirent. Cum enim in cœlesti convivio, ubi cum Domino, edunt et bibunt sancti super mensam ejus, plurima sint fragmenta meritum, quæ, in quantum satisfactio erant, longe superaverunt peccata eorum: cur illa perire patiatur Dominus, et non potius in unum colligat, atque ex iis ærarium Ecclesiæ constituat, quo pauperes et famelici pascantur peccatores? Hæ micæ illæ sunt, quas petiit et obtinuit, Matth. XV. Chananæa, quas et nos catellorum instar, de mensa illa cœlesti, utpote superfluas, expectamus et facile obtinemus. Sed etsi fragmenta et micæ sunt indulgentiæ, nequaquam tamen a nobis parvipendendæ, quin potius, uti reliquiæ conviviorum deliciæ sunt mendicorum, et ossa ac micæ mensarum cupediæ catellorum: ita et indulgentiæ nobis esse deliciæ debent, magna-que aviditate expetendæ. Si Lazarus obtinisset micæ, quas expetebat de mensa divitis, quam laute cenasse existimasset? Et o quam multi Christiani, qui jubilæum multis votis expetunt, ne dicam de animabus purgatorii! Quid enim suavius obsecro, quam debita sua alieno ex ære dissolvere? Si pauper obærat et ob æs alienum vin-

culis addictus, audiret ab opulento: Mitte manum in thesaurum meum, et accipe quantum vis ac potes, quis non in cœlum tolleret istam liberalitatem? Hoc facit tibi hodie Ecclesia, dum indulgentiæ tibi thesaurum aperit, ut inde capias pro libito et debita ista exsolvas. Porro uti maximum est hoc beneficium Christi et sanctorum, qui thesaurum hunc fundarunt: ita maxima eorum ingratitude, qui eo oblato frui nolunt, siquidem tanto eis labore constitit, et in gratiam nostram ab eis repositus est. Quod intelligere ex bono vestro communi potestis. Dicite enim mihi, o cives, unde vobis hæc mœnia, fossæ, agri, campi, stagna piscifera, aquarum ductus, molendina, templa, hospitale, elemosynæ perennes, stipendia, redditus annui, granarium et ærarium commune? Num vos hæc omnia comparastis, fodistis, ædificastis, fundastis? Minime gentium: a majoribus vestris habetis, qui in horum omnium præparatione, suam contulerunt operam, opes et industriam, sudarunt, alserunt. Hinc vobis ingentia commoda: ligna, pisces, frumentum, elemosynæ, stipendia, etc. Jam si communia hæc bona negligeretis, nec in usus vestros converteretis, sed ab aliis diripi pateremini; nonne stultitiæ et supinæ ignaviæ a majoribus vestris argueremini, qui suo hæc sudore vobis paraverunt? Non minus in proposito stulti et ingrati sunt, qui commune indulgentiarum ærarium, Christi et sanctorum sanguine, labore, sudore, jejuniis, vigiliis, ciliciis, catenis, sibi præparatum negligunt, et ab aliis rapi sinunt. De quibus queritur Ezech. XXIV. Dominus dicens: *Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mandare te volui: et non es mandata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.* Certemus igitur et nitamur totis viribus, ut thesauri hujus participes fiamus, ne aliis eum diripientibus, inopes remaneamus. Proh! quantus est conatus, quantum certamen cum in electione imperatoris pecunia in vulgus spargitur, cum avena, cum panni, cum bos assatus populo diripiendus traditur? Multi vulnerantur, pedibus obteruntur, opprimuntur, nec tamen quod quæsierant semper consequuntur: utinam ergo vel sic quæramus indulgentiæ dona infinitis præstantiora partibus. Quod utinam donet nobis Deus!